



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

155. An ex officio suo compellere possit executores, fideicommissarios  
etiam laicos ad exequendas pias defunctorum voluntates.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)



*l. cit. num. 13.* ita ut in criminibus levibus vel extraordinariis, in quibus imponitur poena Judicis arbitrio, Vicarius quoque Episcopi facere possit compositiones juxta facti qualitatem; secus in criminibus gravibus, uti & in illis, in quibus taxata est poena à jure, & in quibus agitur de poena depositionis ab ordine, vel privationis beneficii. Citat pro hac limitatione Castrenf. Bertach. *ubi anec. Cuch. tit. de Vicar. Episc. num. 109.* Diaz. &c. Quam tamen limitationem etiam sublimitat *num. 16. & 17.* ita ut fieri possit hæc dispensatio seu commutatio poenæ ab Episcopo ejusve Vicario ante latam sententiam, non autem post, pro quo citat Cuchum. *Instit. jur. can. de Episc. num. 306.* Felin. *in c. qualiter. de accusat. num. 129.* Nisi forte in sententia fuerit reservatum jus mutandæ poenæ, aut concessa restitutio, adversus sententiam; aut aliqua justa causa impellat, ut Cuch. *l. cit. n. 308.*

## PARAGRAPHUS VII.

## De potestate Vicarii circa ultimas voluntates.

*Questio 154. An Vicarius possit pias defunctorum voluntates demandare executioni?*

**R**espondeo: sine speciali mandato Episcopi (qui constitutus quoque est executor piarum voluntatum. *l. si quis ad declinandam. §. ubi autem. c. de Episc. & Cleric. & ut latè Menoch. ad 4. remed. ad ipsi-scenda. num. 256.* & Cuch. *l. cit. de Episc. num. 142.* & seq. apud Sbroz. *l. 2. q. 49. num. 1.*) id non posse Vicarium, Barbof. *de potest. Episc. p. 3. allegat. 54. n. 104.* Pax Jord. *l. 12. tit. 1. num. 208.* Sbroz. *l. c. n. 2.* citato Bald. *in l. nulli. c. de probat. num. 8.* poterit tamen id ipsum ex speciali Episcopi mandato. Sbroz. *ibid.* Licet enim executor testamentarius facere nequeat subexecutorem, tanquam electa sit fides ejus & industria suæ personæ, ut probat *cit. l. nulli. & ibi Bald. num. 4.* in legatis tamen ad pias causas potest hujusmodi officium delegari. Sbroz. *l. cit. num. 3. & 4.* citans Bald. *in c. cum causis. de Cleric.* Tiraq. *de privilegiis pia causa. privileg. 31. in fine;* eò quod favore piarum causarum relaxentur juris subtilitates. Ad hoc verò, ut Episcopus in hujusmodi executionibus vices suas committere possit alteri, requiritur causa aliqua. Sbroz. *n. 6.* ex Bald. *in cit. l. nulli. num. 8.* Quin & limitationem aliam adjicit Sbroz. *num. 7.* ut Vicarius Episcopi habens speciale mandatum exequendi dictas voluntates, non censeatur adhuc habere mandatum ad liquidandum fructus.

*Questio 155. An Vicarius ex officio suo compellere possit executores, fidei commissarios, etiam laicos ad exequendas pias defunctorum voluntates?*

**R**espondet affirmativè Barbof. *l. cit. num. 105.* Sbroz. *l. 2. q. 50.* citans *c. Joannes. c. si heres. c. tua nos. de testamentis.* Pavin. *de potest. Cap. Sed. vac. p. 1. q. 8. num. 7.* Gemin. *consil. 114. n. 5.*

*Questio 156. An possit quoque prorogare tempus executoribus?*

**R**espondeo affirmativè. Barbof. *cit. num. 105.* Sbroz. *l. 2. q. 51. num. 1.* Idque etiam si sint Juris vel constitutionis Synodalis. Sbroz. *l. cit. citatis*

Calder. *cons. 5. tit. de Vicar. Felin. in c. ex parte. de consil. col. 3. post num. 1.* Ratio tamen quam adjicit Sbroz. nempe, quod id sit jurisdictionis voluntariæ, quæ transit in Vicarium, non magnopere urget; cum plura sint jurisdictionis voluntariæ, quæ non transeunt in Vicarium.

*Questio 157. An Vicarius possit exigere rationes à testamentorum executoribus?*

**R**espondet Sbroz. *l. 2. q. 52.* posse Vicarium tanquam Ordinarium rationem exigere ab executoribus de testamentorum executionibus, etiam Religiosis exemptis, & delinquentes circa illas punire juxta *Clem. 1. de testam. & ibi Glof. & Canonist.* quem textum etiam allegat Pavin. *p. 1. q. 8. num. 5. & p. 2. q. 7. num. 6.* pro Capitulo Sede vacante ejusque Vicario.

*Questio 158. Quid possit Vicarius circa mutationem ultimarum voluntatum?*

**R**espondeo: posse Vicarium Episcopi in erectione Ecclesiæ & applicatione bonorum eidem relictorum in aliquo mutare voluntatem testatoris, decisum fuisse à Rota teste Mohed. *decis. manuscrip. 124.* refert Sbroz. *l. 2. q. 54.* Barbof. *l. cit.* quò ad hoc punctum remittit ad Moner. *de commut. ultim. volunt. c. 5. num. 484.* verum videndum, quid hac in parte, & quo jure comperat Episcopis ipsis, & de in applicandum vel negandum ejus Vicario.

*Questio 159. An Vicarius Episcopi adire possit hereditatem lucrosam delatam Ecclesiæ Cathedrali?*

**R**espondeo: affirmari id absolutè à Pavin. *l. cit. p. 2. q. 8. num. 27.* Sbroz. verò *l. 2. q. 53.* id verum existimat, ubi adest speciale mandatum. Rationem dat, quòd Vicarius Episcopi economum Ecclesiæ constituere nequeat, nisi adsit speciale mandatum. Pro quo citat Felin. *in c. quoniam. de offic. ordin. in fin. Lap. allegat. 8. ubi Apostil. Mandos. in verb. economum.*

## PARAGRAPHUS VIII.

## De potestate Vicarii circa matrimonialia.

*Questio 160. An Vicarius Episcopi possit cognoscere causas matrimoniales?*

**1. R**espondeo primò: causas matrimoniales ex speciali commissione Episcopi posse cognoscere à Vicario. Sbroz. *l. 2. q. 42. a num. 5.* Pich. *ad tit. de offic. Vicar. num. 47.* citans Sanch. *de matrim. l. 2. d. 40. num. 17. in fine.* Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num. 155.* Tametsi enim cognitio hujusmodi causarum spectet ad Episcopalem dignitatem, ut rectè Sbroz. *l. cit. num. 6.* non tamen ideo incommisibilibus est alteri non Episcopo; cum etiam ea, quæ dignitatis Episcopalis sunt, inferiori Episcopo committi possint. Sbroz. *l. 2. q. 28.* citans Abb. *in c. quanto de consuetud. num. 2. in c. accidentibus. de excess. Prelator. num. 2. & 3. Syl. in sum. v. Episcopus. num. 9. &c.* Tametsi etiam causis criminalibus æquiparentur, sintque inter causas majores & arduas, quippe in quibus agitur de statu hominis juxta *c. penult. de in in-*